



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pia Desideria

Hugo, Hermann

Mediolani, 1634

I. Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas. Psal. 118.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43734



Concupiuit anima mea desiderare iustifica
tiones tuas Psal. iis.

C. Blancus fec.

ib.

I.

Concupiuit anima mea desiderare iustifica-
tiones tuas. *Psal. 118.*

CO Elestem, dubitans, terrenumq; inter amorē,
Nescio, quo statuam sub duce signa sequi.
Ille sub imperium, vocat hic ad pilea; pugnant
Dissimili nimium conditione duces.
Hinc, vocor hinc reuocor, rursusq; inuitor utrimq;
Non secus ac refluxo quassa carina salo.
Ambiguum faciunt Amor hic, Amor ille duellū,
Impediuntque suo sistere vota loco.
Sit satis, ab! tandem mala tot fastidia passa,
Et sinar ad portus spem reuocare suos!
O Deus! aut nullo caleat mihi pectus ab igne,
Aut solo caleat legis amore tua!
Nō nego, quod lubeat, magna est, optare voluptas;
Et modò posse volo dicere, nolo, modò!
Frena nihil patitur minùs, atque libido venendi,
Nec se lege sinunt libera vota premi.
Ut vagus exultim lorisque, lupisque solutus
Quoslibet in pastus currere gaudet equus:
Aut stabulo ruit, & viridi mox voluitur herba,

G

De-

Deposito nimium bucula leta; iugo.
 Ast ubi mox reuocat consuetam ad aratra colonus,
 Excudit ille lupos, illa recusat onus,
 Scilicet expetiitur libertas una uouendi,
 Quae satis est, quamuis utilitate vacet.
 Sic Phaeton, patriae ruiturus ab axe quadrigae.
 Appetis ignotos flectere rector equos.
 Sic quoque non solitis dum niteris altius alis
 Icare, sabiectis labere mersus aquis.
 Quam varia superam lassas prece tundimus aures?
 Calitibus, puto nos saepe mouere iocum.
 Ille uouet nuptam, nupta uouet ille sepulcrum;
 Hic sobolem nasci postulat, ille mori:
 Ille Patri mortem, Patri rogat ille salutem;
 Hic fieri iuuenis supplicat, ille senex,
 Vix, puto, consentit centum de millibus unus;
 Quin aliquis voto dissidet ipse suo.
 Denique quid Superos oret, pars maxima nescit,
 Tam noua quisque sibi vota, precesque facit.
 Sic ubi iam gravidas stimulant fastidia Matres,
 Obscenam satiant ferula pudenda famem:
 Scilicet expeditur modò calx, modò creta palato;
 Et modo, quae stomacho displicuere, placent.
 Quid desiderijs ultra tot inanibus vrer?
 Quid iaculor nullo votaue spesque scopo?
Este

*Este procul gemitus, procul anxia turba, timores;
Sollicitaque preces, vota que, spesque procul.
O Deus, aut nullo valeat mihi pectus ab igne,
Aut solo caleat legis amore tua.*

AVGVSTINVS

Solil. c. 12.

Allide Domine concupiscentiam meam
dulcedine tua, quam abscondisti timen-
tibus te, vt concupiscam te concupiscentijs sem-
piternis, ne vanis illectus & deceptus interior
gustus penat amarum dulce, & dulce amarum.

